

S. MARTINUS Ep. Dumiensis (ca 515 †580)

DE CORRECTIONE RUSTICORUM (post 572)

- 1590 13. Pro qua etiam causa, dum vidisset Deus miseros homines ita a diabolo et angelis eius malis inludi ut, obliviscentes creatorem suum, pro deo daemones adorarent, misit filium suum, id est Sapientiam et Verbum suum, ut illos ad cultum veri de diaboli errore reduceret. Et quia non poterat divinitas filii Dei ab hominibus videri, accepit carnem humanam ex utero Mariae virginis, non ex coniugio viri, sed ex Spiritu sancto conceptam. PLS
IV, 1399

M. A. CASSIODORUS (485/490 † ca 583)

HISTORIA TRIPARTITA (ante 555)

- 1591 Cap. II. [...] Etiam quidam aliorum prophetarum clare Christi generationem prophetaverunt, et illum sacrum ineffabilemque conceptum, et matrem post partum virginem permanentem, et genus, et patriam; alii vero passionem, et resurrectionem a mortuis, et ascensionem in coelos, et eventum singularum praesignaverunt rerum. PL
69, 884

IN PSALTERIUM EXPOSITIO

- 1592 Ps. VIII, 5. [...] *Aut filius hominis quoniam visitas eum?* Hac iam voce surgendum est, quia Dominum significat Salvatorem, qui non ut caeteri mortales ex duobus hominibus natus est, sed ex Spiritu sancto et beatæ Mariae semper virginis utero tamquam sponsus de glorioso thalamo processit.¹ PL
70, 76
- 1593 Ps. XVIII, 6. [...] *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas ad currendam viam.* Et ipse, Christum Dominum dicit, qui *tamquam sponsus* Ecclesiae suae, *processit de thalamo suo*, id est de utero virginali. Magna similitudine sacramentum eius incarnationis exposuit. Ob hoc enim de intacto utero processit dispositione mirabili, ut mundum Deitati reconcilians, Ecclesiam sibi sponsi caritate sociaret. Quapropter merito de Virgine natus est, qui Virgini erat sancta copulatione iungendus. Congruè namque *sponsus* a spondendo dicitur Christus, qui toties promissus est per prophetas.² PL
70, 139

¹ CCL XCVII, 92.² CCL XCVII, 171.

● PLS IV, 1401.